



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Animae Illvstres Ivliae Cliviae Montivm Marchiae  
Ravenspurgi Morsae Annexarvmqve Provinciarvm E  
Monvmentis Calamo R. P. Theodori Rhay. Societatis Iesv  
Redivivae**

**Rhay, Theodor**

**Neobvrgi Ad Danvbium, 1663**

XXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10835**

significatio, an pium somnium id fuerit, in medio relinquo; sanè Christi causa gloriose occubuit, & quo in loco sanguinem fudit, fons continuo exortus, aquas fundit agris passim salutare. *Fast. Mar.*

## XIX.

PROPE REGIOMAGVM in Monte S. APOLLINARIS, memoria B. CVNONIS Ratisbonæ ad Istrum Episcopi, Præposituræ & Templi Montis B. Apollinaris munificentissimi Conditoris, qui mortalis vitæ usuram clausit anno Christiano M. C. XX. & æternam sibi beneficâ manu aperuit. *Ex Fast. Gelen.*

## XXII.

SINZICHII a multis retrò seculis, CONSTANTINI MAGNI Festiva lux; qui postridie cum hostibus congressurus, intempestâ nocte ingentem & lucidam libero in æere CRUCEM felix VICTORIÆ portentum istic contemplatus est, quâ per legiones, ab aliferis prælatâ, hostes armis & simul idololatriâ exiit. Trophæi quoque uisæ illius in Cælo CRUCIS, loco ingens ad Rheni ripam, templum Crucis formam referens, CONSTANTINI Mater S. HELENA posuit; Decre-

N

tüm-



túmque communibus votis est, ut fluuius campum victoriæ coronans, *ARULÆ* nomen ab aris novis *Vbiorum*, ibidem in memoriam *S. Crucis aedificatis* & à victorioso viso signo, oppidum *SINSIG* ( ut fama obtinuit ) nomen traheret, ac quotannis *calitùs pugnati prelij diem*, gratâ Religione incolæ recolerent. *Ex Annal. Patria.*

## XXV.

**A**D *fluvium* *ARNAPHAM*, *BERCHEMII* *Iuliae* pago, *B. EGILHARDI Martyris Abbatis S. CORNELII* ad *INDAM Octavi*, quem *A. Christiano DCCCL.* *Normannorum* impius gladius sustulit. *Exstat eius nomini dicatum sacellum*, bellorum cælique injurijs ferè collapsum in *Silva* prope *Bolendorph*, ipsius nomen *S. Egilhard* referens. *Ex Patria Annalibus.*

## XXVI.

**M**ONS *VETVS illustrium Animarum* ferax, hodie *S. LIVOLDO Diacono* & *S. CLEMATIO illustri Patritio*, cum cælo applaudit, quorum consilio, labore, industria in tumulandis *S. VRSVLÆ SODALIBVS S. AQUILINVS* præcipuè usus est. *Ex vind. Vrsulanis R. P. Hermanni Crombach Soc. IESV.*

## XXIX.